

1999 TSJCL - LATIN II

SIGHT RECITATION PASSAGE

Sed ubi labōre atque iūstitiā rēs pūblica crēvit, māgnī rēgēs bellō superātī sunt, nātionēs ferae et populī ingentēs vī victī sunt, Carthāgō, aemula imperī Rōmānī, interiit, cūncta maria terraeque patēbant, mūtāre fortūna et mīscēre omnia coepit. Iam eīs, quī labōrēs, perīcula, dubiās et asperās rēs facile tolerāverant, ōtium atque dīvitiae onerī miseriaque fuērunt.

Igitur prīmō pecūniae, deinde imperī cupīdō crēvit; ea quasi māteriēs omnium malōrum fuērunt. Namque avāritia fidem, probitātem, cēterāsque artēs bonās subvertit; prō hīs, superbiam, crūdēlitātem, deōs neglegere, omnia vēnālia habēre docuit.

Ambitiō multōs mortālēs falsōs fierī subēgit, aliud clausum in pectore, aliud in linguā promptum habēre, amīcitiās inimīcitiāsque nōn ex rē sed ex commodō aestimāre, et bonum vultum magis quam ingenium bonum habēre.

Avāritia studium pecūniae habet, quam nēmō sapiēns cupīvit. Avāritia corpus animumque virīlem effēminat; semper īfīnīta et īnsatiābilis, neque cōpiā neque inopiā minuitur.

aemulus, -a, -um - rival